



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

207. feria 5. de Ira

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

MEDITATIO CCVII.

*Feria 5. Domin. 5. post Pentecost.**De Ira.*

Aspiciam prohibitum à Domino (Matth. 5. malum Iræ, quæ furor brevis dicitur, & insania à D. Bernardo epist. 322. Petam illam intelligere, & evitare.

Conf. 1. Iram esse immoderatum appetitum vindictæ, quo expetitur punitio alterius ex solo desiderio vindictæ, aut ultra delicti mensuram, aut per seipsum, aut per alium, non habentem ad id facultatem, aut omisso ordine debito punitiois, & modo. Oritur ex triplici causa: aut ex vera injuria, vel contumelia alicui illata: aut ex injuria præsumpta, quam sibi, vel suis conjunctis aliquis illatam existimat: aut ex injuria ab eo ipso, qui excandescit, conficta, sine ulla ratione, sed solum, ut irascendi ansam accipiat. 1. Gradus iræ est, ex vera, aut existimata, aut ficta injuria ita excandescere, ut proximus percutiatur, aut vulneretur, aut iratus ex furia seipsum percutiat, vulneret, mordeat. 2. Est, cum quis à proximo læsus in verba contumeliæ prorumpit, & lædentem, aut ignorantem, aut fatuum, aut stultum vocat, & si non manum ad vulnus, at linguam ad convicia dissolvit. 3. Non contumelias parit, sed

sed amaras querimonias, & temerarias de-
tractiones eorum, qui nos injuriâ affecerunt,
quibus nihil in proximo, interdum in præ-
sente, nihil non laceratum, & confissum re-
linquitur. 4. Est eorum, qui nihil superiorum
faciunt, sed tristitiâ vultûs, & profundo quo-
dam silentio conceptam intus indignatio-
nem ostendunt. 5. Est eorum, qui sub exter-
nis signis lenitatis, magis, ac magis, tum pro-
ximi, tum sui ipsorum iram accendunt, &
cùm possent leni, ac modestâ responsione
scintillam contentionis extinguere, risu, &
cachinnis magnum iracundiæ ignem ac-
cendunt. 6. Est, in quem labuntur illi, qui
præ indignatione se sequestrant, solitarijque
degunt, quo tempore egrediendum esset ad
opus commune, vel absconditi in angulo
domûs delitescunt, & à cibo abstinent. 7. Est,
in quo sunt ij, qui semel irati per multos
dies, & menses, & annos indignationem con-
servant, & vel leviter offensi nullâ sustinent
ratione placari. 8. Est Præsidium, qui in cor-
rectione subditorum verbis, aut factis men-
suram lenitatis excedunt: hi si causam pu-
niendi habent, facultatem seipos, & totam
domum turbandi non habent.

*Conf. 2. Remedia contra iram esse: 1.
Considerare mala iræ: quia, ut ait Tertull.
lib. de Patient. Sol super iram nostram si occi-*

Q 5 serie,

370 *Perlas. Domin. 5. post Pentecost.*
derit, periclitamur. 2. Malos, imperfectos,
procaces tibi obloqui, te persequi, injuriam
inferre: tuam autem virtutem à bonis lau-
dari, & honorari: sufficit enim testimonium
bonorum, & conscientiae adversus eos lo-
quentium iniqua. 3. Luc. 6. dicitur: Di-
mittite, & dimittemini. 4. Damnum factum à
Domino esse ob bonum tuum: quis medi-
cinam à sapientissimo medico respuat? Di-
mitte, ut maledicat. Dominus enim precepit ei.
5. Occasione iracundiae datâ animi commo-
tionem intus comprimere, & eam nec ver-
bo, nec gemitu, nec signo exire permittere:
ut enim flamma compressa extinguitur, sic
ira silentio & dissimulatione cohibita sensim
commoritur. Turbatus sum, & non sum locu-
tus. 6. Si aliquando contumeliae in te jacta-
tæ judicas respondendum, ne proximus tuo
silentio majori indignatione effervescat, re-
spõsio tua sit blanda, ac mitis, quæ te ipsum
ad compassionem & amorem delinquentis,
illum verò ad tranquillitatem inflectat. Re-
sponsio mollis frangit iram. 7. Si adversus
aliquem iratus fueris, eodem die ante pran-
dium, aut ante solis occasum, te eidem re-
concilia. 8. Contumelias, & injurias benefi-
cijs, & charitatis operibus vince, quibus &
te ipsum, & tibi adversos emollies, & amore
conjuges. 9. Cum aliquod opus, negotium-
ve ag-

ve aggredieris, prius cogita, quæcunque ad-
versa possunt accidere, & ea apud temetipsum
æquanimiter passurum constitue. 10. Non
obliviscaris, si multa toleras, non pauca esse,
quæ alij in tua conversatione sustineant.
11. Causas iræ amputa geminas, concupi-
scentiam rerum terrenarum, & opinionum,
sensuumque diversitatem. 12. Nec injustis,
nec justis ex causis adversus proximos ira-
scendum; quia ira, ex quacunque causa sit,
intellectum obscurat, consilium obnubilat,
honestatem turpat, & mentis puritatem con-
taminat. *In potestate posuit nostra Deus, qua-
liter in die iudicij iudicemur. Dimittite, & di-
mittetur vobis.* Augusti serm. 102. Temp.

Cons. 3. Indicia prostratæ iræ sunt actus
contrarij iræ, puncto 10. explicati. Statuam
ad remissionem meorum peccatorum in-
jurias, & contumelias patienter sustinere,
eas tanquam à Domino suscipere, nullum
signum impatientiæ exterius nec verbo,
nec opere prodere. Pulchritudinem man-
suetudinis agnoscere, & eam præstare po-
stulabo.

MEDITATIO CCVIII.

Feria 6. Domin. 5. post Pentecost.

De Invidia.

Q 6

Aspiciam